



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 104. Non extendistis manus in me. v. 53.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

Christus fuit quotidie, in domo patris sui, ut eum ibi adoraret *in spiritu & veritate*: Quid ad hæc dicis? ô tepide Christiane, quid sacerdos negligens, qui Deo & templo sacratus es! Quotidiène templum visitas? ibidemque expandis manus ad Deum, & cor ibidemne laudes eius decantas? doces verbo & exemplo? Vide ne te quandoque pœniteat desidia tua, & ab hostibus templi circumveniaris, & æternum puniaris, ob neglectum templi tui.

O Sol sapientiæ Christe, qui in templo frequenter apparere dignatus es, & radios tuos, per nubem humanitatis emittere: digneris etiam nos illuminare luce gratiæ tuæ, contra tenebras culpæ, luce sapientiæ contra tenebras ignorantia; tuæ veritatis fulgore contra tenebras erroris, & docere nos viam salutis & æternitatis. Doce nos in domo patris tui libenter conuersari, & in negotijs eius gloriam concernentibus libenter occupari, donec tandem ad domum æternam, Te duce, & tua luce pertingamus, ubi te & patrem contemplemur visione & fruitione sempiterna.

§. 104. *Non extendistis manus in me, v. 53.*

Aliud argumentum proponit Hostibus suis Dominus, ut agnoscant rem, quam agebant, non esse humanæ rationis, sed diabolici impetus & furoris, nimirum: Vos habentes voluntatem comprehendere me, tum in templo, tum in synagogis, docentem de die, & reprehendentem publicè peccata vestra, non capiebatis: nunc autem cum nox est, & in quiete sunt omnia, cum vos non reprehendo, cum celebritas diei festi agenda & pascha celebrandum est, venitis cum armis & fustibus comprehendere me: Quid causæ? quia duces habetis, non à bono spiritu agitur discipulum meum qui sui oblitus & conscientia, captus amore pecuniæ; studens iniquitati ad iniquitatem, spe remunerationis proditoria, & clam sine tumultu, de nocte, tradere me vult vobis, quod die lucente, populo præsentem, & civium bonorum turma inspectante facere & perpetrare, non ausus fuisset. Iste vobis insanæ tantæ Author est, ipsi autem dæmon,

O Anima deuota, si illis præsentem fuisses, nunquid talia audiendo Creatori tuo compassa fuisses? & libenter eum defendisses? nonne tunc abundantissime doluisses & fleuisses? pone ergo hæc omnia nunc coram oculis mentis tuæ, tanquam si tunc præsentem fuisses, & compatere Christo tuo, atque considera, ne & tu talia insana & irrationabilia ex passionibus actites, quia ybi contra rationem agitur,
ibi

ibi certe Deus agendi non est principium, sed diabolus. Fuge ergo, fuge passionibus obsequi.

§. 105. *Sed hac est hora vestra, & potestas tenebrarum. v. 35.*

Ex duobus argumentis jam allatis, concludit Christus, & remonstrat hostibus suis, quod ad hunc actum à dæmonibus sint inducti, ut eos deterreret ab ulteriore in malis progressu: Ego autem miror hic Domini mei in discursibus tam rationabilibus, inter strepitum, armorum constantiam, & animi præsentiam, etiam moderationem, qua tenebras appellat ipsa dæmonia & peccata.

Olesu sapientia Dei, æterna veritas, quam clarè effulsit hoc divinum lumen tuum super filios Adæ: quam omnis vita, cunctaque operatio tua, lux quædam & manu ductio nobis fuit ad veritatem? quam perspicue lumen cœlestis doctrinæ tuæ tunc luxit in tenebris? quam universa opera tua humilitate, patientia, charitate, abstinencia, & omni denique gratia & virtute abundant! ita ut in his perfectissima exempla torius sanctitatis, cunctis reluceant; O quam studiose conatus es plantare vineam patris tui? nec tibi ipsi ab æstu, à frigore, à siti & fame, à vigiliis & laboribus pepercisti: enimvero cor tuum præ ardenti desiderio intra te velut in olla ferventi æstuabat, ut patri tuo lucrum reportares, & omnem Israël salvum faceres tua pietate, quam veneror & adoro.

§. 106. *Comprehendentes autem eum. v. 54.*

Quia hora eorum erat, & potestas tenebrarum juxta talium principiorum morem, nempe in humanum & atrocem, comprehendentes; satis barbarè ligarunt, vinculisque compluribus, & manicis ferreis constrinxerunt, quorum alia collo, alia manibus injecerunt. Erat igitur qui guttur illius propè strangulabat; alii manus & pedes arctè nimis copulabant. Quid tunc cogitaverit, quid meditatus fuerit Dominus quando vincula peccatorum circumdabant eum! ipse novit, nos conjectemus meditando, conjectando gratias agamus, & agendo gratias pacem habeamus.

Iesu vinculis alligatè à ludæis miserere mei & omnium ne mortalibus culpis unquam innexi comprehendamur ab ira tua & satanæ servitute.

§. 107. *Duxerunt ad Domum principis sacerdotum. v. 54.*

Princeps sacerdotum illo anno, & duobus præcedentibus erat fueratque Iosephus Caiphas, & ante eum fuerat in eodem officio Annas, sive Annanus & tres intermediis successivè, nempe Ismael filius Fabi, & Eleaza-